



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Autoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Quæst. 148. An & qualiter valeat renovatio locationis factæ ad triennium, eo nondum elapso.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

que formalis locatio sit sed vi illius tantum ea promittitur. Verum, cum non appareat ratio, cur potius pactum in publica, quam in privata scriptura contentum aut privatim factum sit virtualis locatio aut alienatio; sed utrumque æque solum contineat istam obligationem personalem locandi, non secus ac promissio matrimonii, non matrimonium sed solum continet obligationem illud contrahendi; hinc, inquam, de utroque casu pariformiter loquantur & sentiunt. Molin. *cit. d. 466. num. 5.* Quarant. *cit. num. 18.* Ricc. *decis. 71.* Guttier. *99. Can. L. 2. c. 13.* & alii apud Delben. *num. 8.* nimirum, quod non fiat hac ratione locatio ultra triennium. Unde etiam docent posse beneficiarium obligare se obligatione personali ad concedendam commoditatem percipiendi ad plures annos fructus beneficii sui; cum per hoc rem ecclesie non alienet, seu jus in eam conferat, sed solum ad fructus illius personaliter obligetur. hinc sit

*Quest. 146. An igitur beneficiarius Fructus beneficii licite absque solennitate ad longum tempus locare aut vendere possit?*

**R** Esp. Id eum posse, non obstante *Extrav. ambigua*, etiam in locis, ubi ea recepta, modo ipsi fundi, unde hi fructus percipiuntur, ultra triennium non elocentur. Ita probabilis Abb. in *c. 2. de his qua sunt à Pralat. & in c. veniens. de transact. num. 1.* Covar. *L. 2. var. c. 16. num. 6.* Molin. *de just. L. 1. tr. 2. d. 466.* Molin. *de primog. L. 1. c. 2. num. 27.* Mant. *de tac. & ambig. convey. tr. 2. L. 5. ut. 3. num. 21.* Valq. *de reit. c. 2. §. 2. à num. 31.* Less. *de Inst. c. 24. du. 11. num. 7.* Azor. *p. 2. l. 9. c. 2. q. 7.* & alii, quos citat & sequitur Delben. *c. 8. du. 10. num. 1.* contra Armill. *v. locatio num. 5.* Sa. *v. conductio. num. 13.* Ricc. *decis. 114. num. 5.* Gott. *l. c. c. 88. num. 14.* Bonac. *de contract. feud. qu. 8. p. 4. num. 32.* Barbos. *de potest. Eps. p. 3. alleg. 95. num. 20.* & alios. Ratio responsionis est, quod dicti fructus non sint res seu bona ecclesie, sed privati nempe beneficiarii locatoris. Unde etiam, cum conductor nullum jus in fundum acquirat; adeoque locatio expiret morte locatoris, aut à motione illius à beneficio, nullum ecclesie, aut etiam beneficiario successori ex tali locatione seu alienatione fructuum imminet periculum aut præjudicium; uti id illis imminet, si locatio ipsum fundum contingeret immediate; tunc enim non expiraret, sed beneficiarius successor teneretur stare locationi legitime factæ à prædecessore, non tamen factæ ab eo illegitime; ita ut in casu, dum. V.g. deprehendit ecclesiam esse enormiter læsam per talem locationem contingentem ipsum fundum, possit uti beneficio restitutionis in integrum. Uti etiam, si locatio ad triennium ea lege facta fuisset, ut conductor in primo anno solvat multum, in reliquis duobus annis parum, crearetur successori præjudicium, hic, casu quo prior locator moretetur interea non teneretur stare tali locationi; quin hæredes defuncti locatoris teneantur ex anticipata illa pecunia ad restitutionem eum proportione pro numero annorum, qui post mortem locantis super sunt, ut Delb. *c. 17. du. 24. à num. 6.* De cæteris quæ contra locationem fructuum ad longum tempus objici possent, vide diluta à Delb. *c. 8. du. 10.*

*Quest. 147. An valeat mandatum ad locandum res ipsius Ecclesie ultra triennium?*

**R** Esp. Pro ut hæc quæstio diversos sensus habere potest, ita diversimodè ad illam respondendum. Nam primò, si sensus sit, num valeat mandatum, vi cuius quis locare possit ad longum tempus, patet non valere; cum sicut ipse principalis locare nequit ad longum tempus, ita etiam alteri committere nequit, ut sic elocet ad longum tempus. Secundo: si sensus sit, num mandatum datum ad elocandum valeat & duret adhuc post elapsum triennium, ita ut non egeat commissarius nova commissione seu mandato, sed possit in vi ejusdem mandati plures successive facere elocationes ad triennium seu triennales ejusdem rei ecclesiasticæ, videtur respondendum affirmativè, seu id non prohiberi. Sicut enim ipse principalis administrator rerum ecclesiasticarum potest res illas pluribus successive locationibus locare absque eo, quod dicatur locare ultra triennium, intellige, simultaneè, sic quoque id ipsum alteri committendo vices suas uno eodemque mandato, ita ut necesse non habeat illud quolibet triennio renovare. Delb. *c. 18. du. 7.*

*Quest. 148. An & qualiter valeat renovatio locationis factæ ad triennium eo nondum elapso?*

**R** Respondet Delb. *l. c. du. 3.* distinguendo, ita ut dicat valere eam, si fiat renovatio post secundum annum elapsum, intellige, iterum contrahendo ad triennium vel infra triennium; eò quòd tunc non censetur prior contractus continuari, & extendi ultra triennium, adeoque non præsumatur cum fraude procedere renovans; sed antiquo contractu finito (cum parùm, quod adhuc restat ad complendum triennium pro nihilo computetur) res de novo locari. Si verò fiat renovatio ante cæptum secundum annum cum eadem persona, sit invalida, tamen si pensio varietur; eò quòd tunc præsumatur fraus, & verum sit dicere; rem ecclesie uni locatam ad quinquennium; dum nimirum renovatio extenditur ad triennium; cum non sit novus contractus, sed prior extendatur; quia jam locum non haberet illud: parum pro nihilo reputatur; cum facta renovatione ante cæptum secundum annum adhuc restet potior pars triennii. citat pro hoc Delb. Molinam *cit. d. 466. circa finem.* & Valquium *de emphyteusi. q. 29. num. 15.* nisi quod is contrarium teneat in casu, quo mutaretur pensio. Quod licet improbet Delb. dicendo, variationem illam pensionis non integrè tollere præsumptionem fraudis, neque impedire, quo minus dicatur locatum illi ad quinquennium; adhuc ab eo videtur dici non improbabiler; cum variatio pensionis satis videatur mutationem contractus, & introductionem novi arguere, sive parum sive multum restet ex priore triennio.

*Quest. 149. An & qualiter per contractum superficiarium, Libellarium & similem res Ecclesie alienentur?*

**R** Esp. Breviter: Idem ferè dicendum de illo, quod de locatione nimirum quod cum per illum